

solus non didicit quod omnes doceret. Homines autem discunt prius quod doceant, et ab illo accipiunt, quod aliis tradant. Quod ne ipsum quidem mihi accidit. Ego enim raptus de tribunalibus atque administrationis infulis ad sacerdotium, docere vos coepi, quod ipse non didici. Itaque factum est, ut prius docere inciperem, quam discere. Discendum igitur mihi simul et docendum est, quoniam non vacavit ante discere. Et quantum libet quisque profecerit, nemo est, qui doceri non egeat, dum vivit.

TACENDO FUGIMUS PERICULUM, ET DISCIMUS RECTE LOQUI.

Quid autem prae caeteris debemus discere, quam tacere, ut possimus loqui; ne prius me vox condemnet mea, quam absolvat¹⁾ aliena? Scriptum est enim: Ex verbis tuis condemnaberis. Quid opus est igitur, ut properes periculum suscipere condemnationis, loquendo, cum tacendo possis esse tutior? Quamplures vidi loquendo peccatum incidisse, vix quemquam tacendo: ideoque tacere nosse quam loqui difficilius est. Scio namque loqui plerosque, cum tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam, cum sibi loqui nihil prosit. Sapiens est ergo, qui novit tacere. Denique Sapientia Dei dixit: Dominus dedit mihi linguam eruditionis, ut sciam quando oporteat sermonem dicere²⁾. Merito ergo sapiens, qui a Domino accipit, quo tempore sibi loquendum sit. Unde bene ait scriptura: Homo sapiens tacebit usque ad tempus³⁾. Ideo sancti Domini, qui sciebant, quia vox hominis plerumque peccati annuntiatio est, et initium erroris humani, sermo est hominis, amabant tacere. Denique sanctus Dominus ait: Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea⁴⁾. Sciebat enim et legerat, divinae esse protectionis, ut homo a linguae suae flagello absconderetur, et a conscientiae suae testimonio⁵⁾. Verberamur enim tacito cogitationis nostrae op-

1) Math. 12. 2) Is. 50. 3) Eccl. 20. 4) Ps. 38. 5) Job. 8.